



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Tribvs Dagobertis Francorvm Regibvs Diatriba Godefridi Henschenii E Societate Iesv

Henschenius, Godefridus

Antverpiae, 1655

Serenissimo Leopoldo Gvilielmo, Avstriae Archidivci, Belgii
Bvrgvndiaequve Pro Rege Catholico Gvbernatori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9599

SERENISSIMO
LEOPOLDO
GVILIELMO,
AVSTRIÆ ARCHIDVCI,
BELGII BVRGVNDIÆQVE
PRO REGE CATHOLICO
GVBERNATORI.



*Vm Francorum irrequieta tot
iam annis, SERENISSIME PRIN-
CEPS, illustri sapientia ac forti-
tudinis laude, arma sustines ac
repellis; eorum prisci duo Reges
in TVÆ CELSITVDINIS conspe-
ctum velut rediuiui aduenere: CHILDERICVS
nuper, Chlodouei i parens; modò DAGOBERTVS,*

S. SIGEBERTI filius, Dagoberti ⁊ nepos. Illius re-
fossam Tornaci cadaver: huius nomen ac regni de-
cus, ingrata mille propè annorum obliuione conse-
pultum, in lucem postliminiò prolatum. Vterque
in Belgicâ natus: primâ DAGOBERTVS; quam
totam ac secunda partem, ⁊ Germaniam utram-
que, ac trans Rhenum sitas provincias imperio re-
xit. CHILDERICVS secundam Belgicam, ubi edi-
tus in lucem erat, ferè omnem tenuit, ⁊ prima par-
tem, Celticâq; prolato ad Ligerim regno. Verùm is
in alienas ditiones præter ius fasq; inuadebat. Ne-
mo enim est, qui ignoret, Francos Salios in eâ pri-
mùm Belgij plagâ, qua Brabantia nunc appellatur,
iuxta Toxiandriam-locum, oppidumq; Diesthe-
miû, precariò sedes obtinuisse à Romanis: dein vel-
ut aspidem in sinu fotam, in ipsos Romanos Abô-
riginesq; impetum fecisse, ac sensim proxima queque
bello populatos. DAGOBERTVS autem, postquàm
assensione populorum, Pontificis Romani auctori-
tate, Imperatorumq; Orientis approbatione, Fran-
cis erat regnum Gallie pridem confirmatum, here-
ditario iure, patris auiq; successor, etsi quàm illi
minis

minus latè, regnavit, haud tamen angustius CHIL-
DERICO.

Expulsus à suis DAGOBERTVS ac CHILDERI-
CVS: hic ob effrenem lasciviam, quâ etiam inge-
nuis Virginibus promiscuè vim afferebat. Licet e-
nim (ut Saluianus Massiliensis testatur) perfidio-
sa esset iis temporibus gens Francorum, casta tamen
erat: usque adeò ut ne in Rege quidem immodi-
cam illam libidinem passa sit. DAGOBERTVS au-
tem Procerum quorundam regno inhiantium
fraude, innocenti pietate, penè puer attonsus in Cle-
ricum est, & in Hiberniam deportatus, Divino
cultui consecrandus. CHILDERICVS cum etiam ad
cadem designari se sentiret, in Thuringiam ad Bi-
sinum Regem profugit. At neque hospitij reueren-
tia illic impuritates eius coërcuit, ut non regalem
thalamum adulterio violaret. DAGOBERTVS au-
tem sanctissimis Scotorum institutis ad omnè mo-
rum honestatem ac pietatem præclarè est exilij tem-
pore informatus.

CHILDERICVS, Viomadi cuiusdam operâ,
placatis paulatim Francorum animis, reuersus in
regnum est: parte tamen eius aliquamdiu conten-

tus, quoad Ægidius vixit, quem, licet Romanum
ac Christianum, sed militia peritissimum, Franci
Regem sibi adsciuerant. Reuocatus ab exilio est
DAGOBERTVS, studio præcipuè Imnechildis ma-
tris, piissimæ prudentissimæq; Regina, cuius quoque
illustre olim pluribus benefactis nomen, sed nescio
quâ fortunâ propè obliteratum, in lucem restitui-
mus. De Hiberniâ DAGOBERTVS, uti V. V. illel-
mus Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontif. Angl.
auctor est, ad S. V. Wilfridum Archiepiscopum E-
boracensem venit, qui eum hospitio recepit, & e-
quis focisq; adiutum, patriæ remisit. Ibi ille
in paterni regni est portionem à Childerico patrueli
suo, Chlodouei II filio, admissus.

Bella exinde non pauca gessit CHILDERICVS: &
fortassis hominum illorum iudicio, qui veram nul-
lam, nisi partam sanguine, gloriam agnoscunt, hac
unâ re DAGOBERTO superior habebitur. Nec iste
tamen operum militarium expers fuit, et si vacare
pacis artibus mallet, subditorumq; populorum con-
sulere tranquillitati: sed reprimere suum in regnum
irrupentem, cum crudelissimo Maiore-Domus
Ebroino, Theodericum, patruelem itidem suum,
coactus est.

Res

Res una est, quam iure laudare in CHILDERICO liceat, quòd, quamuis Paganus, Christianos tamen bello victos, suis uti palam legibus, Antistites sacra obire, sacerdotiorum prouentibus frui religiosos homines, passus est: quo pacto id euicit ipse, & filius eius, ut in unum tandem populum Franci Romaniq; & Galli coalescerent. Quid, quòd sanctimonie famà celebres homines suspiciebat ac honorabat, uti est à nobis in S. Genouefa Virginis Vita ad diem 111 Ianuarij commemoratum? Illustrior hoc in genere DAGOBERTI laus fuit, qui & colebat ipse castè sancte q; pietatem, & ad eam ceteros inuitabat, pluribus lautè fundatis religiosorum hominum domiciliis, erectis aut locupletatis Episcopatibus, liberaliter acceptis hospitio uiris sanctis, qui aliunde in eius regnum aduentabant, nonnullis etiam, ut apud se domicilium figerent, inuitatis, adhibitã quoque curã, ut ad Frisones diuini Euangelij præcones mitterentur.

Fortunatus, inquiet aliquis, CHILDERICVS, qui stirpem reliquit, & gloriosam illam quidem. Fateor: è Basinã, qua libidine amens, relicto marito Thuringia Rege, ad eum ultro uenerat in Galliã,
Chlodo-

Chlodoueuum suscepit, dignum qui honestiori thoro
nasceretur: quippe qui Christiana demum sacra
complexus, ac legitimus Gallia Rex declaratus, ad
limitem usque Hispaniarum dominatum, pulsus
Aquitania Gothis, extendit, Alamannos vicit,
Ripuarios Francos (non tamen absque paricidij
scelere) subiugauit. Quanto sors DAGOBERTO bea-
tior! Liberos is plures suscepit, sed sanctè. Qui o-
mniũ decursus vite fuerit, indagamus. Sanctorum
virorum precibus adolescentulus filius vitam, va-
letudinem filia recuperauit. Ita Superis cara iam
tumerat optimi Regis progenies. Filia alia S. IR-
MINA illibatam caelesti sponso virginitatem deuo-
uit, in Horreenſi parthenone, quem illa suis facul-
tatibus ac patris construxerat, dotaratq; ita amplè,
ut vigeat etiamnum opibus sanctâque disciplinâ.
S. IRMINÆ soror ADELA, & ipsa Sancta ac Beata
nuncupata à nonnullis, GREGORIVM nepotem ita
educârat formaratq; ad virtutem, ut in ipso adole-
ſcentiæ flore S. Bonifacio Apostolo Germania sese
comitem vltro iunxerit, sitq; & ipse Calitum deinde
honores consecutus. Potestne honoratior cuiquam
Regi posteritas obtingere?

Demum

Demum sepultus est DAGOBERTVS Rotomagi,
Christianâ magis pompâ, quàm regio luxu, forsan
etiam postea translatus aliò, & honorificentiori
conditus tumulo, atque, ut suspicari non temerè li-
cet, consecrata eius diuinis honoribus ad aras me-
moria est. CHILDERICVS auitis superstitionibus
immortuus, Regū barbarorum ritu Tornaci tu-
mulatus est, cum vario armorum ac cimeliorum
apparatu. Reperta hæc unâ cum corpore, dum Tu,
SERENISSIME PRINCEPS, Belgium Maximi Regis
auspiciis tueris ac gubernas, Tibi ut ist hæc vetera
ornamenta, & Belgij quondam Celticaq; spolia, se-
cundissimo auspicio, oblata ab antiquo illo bellico-
sissimo Galliarum domitore videantur. Rediuius
itidem adest DAGOBERTVS, nullius egens ad splen-
dorem sepulchralis apparatus, cuius sumptu con-
structa tot olim ampla & operosa templorum ac
monasteriorum extant etiamnum, ad gloriam eius
sempiternam, ædificia. Huius à me nomen, & (si fas
ita loqui) regnum refossum est: non, ut CHILDE-
RICI, ex ruinosæ domus disiectis fundamentis, sed
ex Sanctorum Actis, V Vilfridi præsertim ac Sa-
labergæ Abbatissæ. Illi nempe anno DCCLXXX, Epi-
scopa-

scopatum Strateburgensem, quem Tu nunc,
SERENISSIME PRINCEPS, feliciter administras, ob-
tulit DAGOBERTVS Rex Transrhenanorum
Francorū. Idemq̄, ut in S. Salaberga Actis nar-
ratur, aduersus Theodericum Regem in Austra-
sia Burgundiaq̄, finibus bellum gessit.

Vsque adeo Sanctorum virtute sustentatur re-
gnorum salus, ut non modo viui calamitatem à
populis ac Principibus precibus suis ac benefactis
auertant, iis Numen propitient, utrosque salutari
doctrinâ excolant, suisq̄ exemplis ad piè viuendum
extimulent; mortui autem eos patrociniò tueantur,
morbosq̄ ac cetera humana vitæ mala auertant; sed
nuda ipsorum Acta vitam Regibus ipsis, regnis
vetustum splendorem, restituere videantur. Certè
nesciremus, qui ante CI^{CCC} annos AVSTRIÆ Ve-
stra, quod tunc Noricum Ripense dicebatur, status
fuerit, nisi S. Severini, qui iuxta Viennam urbem
habitauit, Vita à coæuo auctore scripta extaret.
CAROLVM V, omnium seculorum sapientissimum,
non modò fortissimum, Imperatorem, auunt, quo-
rumdam irridentem interminatâs genealogias, di-
cere solitum, nolle se, ut altiùs, quàm à RVDOLPHO
Habsbur-

Habsburgico suae stirpis origo repeteretur; quem constaret generis claritudine, scientiam militarium artium gerendaque Reip. longè celeberrimum, ideò ad Imperij Romani gubernacula euocatum, ab eo deinceps intaminata omnia plenaque gloria. Vereri se, ne si retro quis ulterius tendere velit, fabulas admisceat, atque optimè nata dedecoret. Tamen ex S. Deicoli Abbatis Lutrensis edita à nobis Vita, multa de ipsius RUDOLPHI antiquissimis maioribus eruerunt Hieronymus Vignierius, & Ioannes Iacobus Chifletius, viri clarissimi; hic in Stemmate Austriaco, ille in Genealogiarum publicam in lucem dato volumine. Quàm multi nunc in tenebris atque aeternam iacerent nocte, ac sine nomine, Reges, nisi in Sanctorum Actis eorum fieret mentio, quæ nulla alibi extat! Sanè qui nostram aetate antiqui temporis historias scripsere, pleraque ex Actis Sanctorum hausere. Ipsi etiam Heterodoxi, licet adeò non honorent Sanctos, ut etiam ijs cultum deferentes irrideant; Acta tamen eorum sæpe ad antiquitatis illustrationem afferunt.

Eapropter fore confido, SERENISSIME PRINCEPS, ut, qui CHILDERICVM ita avidis oculis, manibus,

nibus, animisq; suscepisti; ut, quae de illo ab viro eruditissimo scribebantur, singula, priusquam typis mandarentur, recensueris studiosè, Tuoque calculo comprobâris; DAGOBERTUM quoque nostrum solitâ Tuâ facilitate in Tuum conspectum venire patiaris. Idq; tantò equius est me sperare, quòd Diœcesis Argentoratensis Tua, reliquaq; Alsatia, vetusta Augusta Vestra Domus possessio, plurimis huius DAGOBERTI monumentis est condecorata: quorū pleraque erant ad avum eius Dagobertum I, quædam ad Theoderici patruelis eius atque aduersarij nepotem, Iuniozem Dagobertum, translata. Nos ei, cuius sunt propria, ex veteribus diplomatis Actisq; Sanctorum aliorum redhibemus. Atque utriusque illius Dagoberti, ut certius nostro illi Austrasio decus suam constet, res gestas seriemq; temporum, quibus regnauere, exponimus. Plurimorum etiam Episcoporum atque Episcopatum antiqua ornamenta è ruderibus, quibus erant nonnullorum scriptorum imperitiâ obruta, euoluimus. Tuæ certè SERENISSIMÆ CELSITVDINIS Episcopatum Argentoratensem Franciscus Guillimannus, integro volumine
de

de eius Antistitibus vulgato, Patruoq; Tuo,
tunc quoque Argentoratensi Episcopo, LEOPOL-
DO AVSTRIACO dedicato, affirmarat Dagoberti i
temporibus esse fundatum, primumq; ei praesedisse
tunc S. Amandum à Traiectensi Sede euocatum.
Verum isthic trecentis minimum annis prius san-
ctos sedisse Episcopos ostendemus. Aliarum quo-
que Ecclesiarum antiqua decora, praesertim quae ad
seculum Christi septimum atque octavi initium
spectant, illustramus. Hoc apparatu comitatu-
q; in conspectum venire TVÆ CELSITVDINIS ge-
stit DAGOBERTVS hic noster, nec, ut placeat, aliis
se cimeliis putat egere. Probatum iri autumat a-
pud pium ac sapientem PRINCIPEM, quod ex illo di-
uite sacroq; armamentario profertur: è Sancto-
rum, inquam, Actis, quae à nobis iam edita in lu-
cem, adeò non contemni à TE nouit, ut etiam
cùm fatigatum TE bellicis laboribus curisq; va-
letudo aliqua aduersa detinet, ea TIBI prelegi
mandes; potissimum praesidalia Martyrum Acta,
quae à Notariis olim excepta, transmissaq; ad po-
steros sunt. Quamquam in aliorum etiam gestis

Sanctorum, præter eximia pietatis virtutumq; aliarum exempla, inest etiam ille, quem diximus, fructus, ut veterum Regum ac Principum nomina ac res gesta innotescant, aliis neglecta scriptoribus, aut cum ipsis scriptorum monumentis abolite.

At si non eâ, quâ Anastasis Childericiana, vel styli puritate, vel typi elegantia, vel ectyporum nitore comptus ornatusq; hic rediuius Rex videbitur, CELSITVDINEM TVAM orat, ut meminerit horridiore aliquantò cultu amictum prodire, qui adolescens seuerâ Scotorum eruditus fuerit disciplinâ, atque eâ vixerit tempestate, quâ minùs excolebantur bonæ litteræ: quare hîc quoque ex vetustis ferè diplomatis aut consimilibus monumentis confertâ oratione prædicatur.

Illud ego ad extremum supplex precor, ut idem ille religiosissimus Rex, Calitibus, quod minimè dubium est, additus, cum sanctâ filiâ IRMINA ac pronepote S. GREGORIO, præsertimq; sancto parente SIGBERTO, Austrasiæ itidem, & proinde maximæ partis Belgij, quod feliciter prædicem

dem moderaris, Rege, patrocínio T E suo diu in-
columem ac fortunatum conseruet. Ita voueo Ka-
lendis Januarij CXCICLV

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Deuotissimus cliens

GODEFRIDVS HENSCHENIVS
è Societate IESV.